Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Origo Lessij pestilente morbo, aut veneficio infecti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Visual Library

enim ibi lego de viro, cuius pia eruditio in toto Chriſtiano orbe eſt notiſſima; cuius opera æquè legunt & laudant hæretici atq; Catholici; quem ſuſpiciunt Iuriſconſulti; admirantur Theologi, omnes docti non immeritò commendant. Quidquid enim ſcripſit, vel pium eſt, vel doctum; vel pium & doctum ſimul. Sed de doctrina conſtat omnibus: par eſt, vt etiam virtus eius innoteſcat. Quæ tametſi in multis rebus claruit, nuſquam tamen illuſtriùs eluxit, quàm in morbis. De eo igitur Thomas Courtois hæc commemorat.

II. In vita P. Leonardi Leſsij, edita Bruxellis operâ Thomæ Courtois Anno M DC. XL. c 3. §. II. quem citat P. Philipp Alegambe in Bibliotheca Scriptor. Soc.

Plenis, vt ita dicam, velis, per ſcientiarum oceanum iucundè ſecureq́; Leſſius nauigabat: cùm ecce publica patriæ tempeſtas, quam perduelles hæretici Duaci concitabant, curſum abrupit. Triennium exactum hîc erat; & vrbe à rebellibus exigitur Anno 1578. & eheu! nocte ab exitu, ſecunda, eas miſerias incurrit, quibus reliquo vitæ tempore, continuum martyrium duxit. Dum per vicina loca cum ſocio, latebras quærit, paruo inſtructus viatico in hoſpitium deuenit, vbi in lecto contagioſa peſte (maleficium aliquod fuiſſe vehemens ſuſpicio eſt) infecto decubuit. Malum iam eum inuaſerat, cùm medio noctis, madore ac fœtore expergefactus, reliquã noctem, extra lectum vigil peregit. Vix octo elapſi erant dies, cùm per totum corpus graſſata peſtis, ſe ſe manifeſtauit: caput & reliqua membra panè in duplũ intumuerant, omnia tenebat ſcabies; à malo infectus etiam ſuperatuſq́; ſocius, eo anno interijt. Leſſius ſobrietate, ieiunio, varijſq́; medicamentis, luẽ illam deuicit. Annum integrum totis noctibus in eum modum ſudore diffluebat, vt omnia quotidie lintea ad ignem ſiccanda eſſent; quod præ modeſtia a nemine, quàm à ſeipſo, fieri patiebatur: calidum laterem pedibus ſub veſperum adhibebat, qui ſudorem illum cieret. Poſt multa tempora, balneationibus & herbarum affrictu, peſtilentem illum humorem, qui toti corpori inſederat, in tibias deriuauit; à quo tamen complures ſanguineæ maculæ, palmaris ferè magnitudinis cætero corpore diſperſæ, perennia tanti mali monumenta, remanſerunt. Tibiæ lue iſta infectæ, incredibili impetigine ac pruritu quadraginta quinq; annos, die nocteq́; eum excruciârunt. Viſus eſt aliquando ſtylo ferreo crura vſq; ad fluxum ſanguinis vulnerare, vt moleſtiſſimam corroſionem auerteret: quæ quantopere ſæuierit, facilè is intelliget, qui vel vnâ apiculæ aculeo compunctus, præ doloris impatientia, vix conquieſcit.

Viraq;